



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Institvtio De Salvtari Poenitentia Peccatoris

Viexmont, Claude de

Coloniae Agr., 1725

VD18 1361598X

Quartæ partis conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50113)

Conscientia
seipfam iu-
dicans.

scditatem, vt corrigas: ne tandem eam no-
lens videas, & erubescas. Mentis tuæ tribunal
ascende, & teipsum coram te ipso constitue, sis
tibi iudex incorruptus. Atque ita constituto
cordis iudicio, adsit cogitatio accusatrix, & con-
scientia tua testis: timor Dei hoc iudicium vr-
geat, ratio iudicet, postremò pœnitentiæ acer-
bitas te cruciet: adsit dolor in contritione,
pudor in confessione, & labor in satisfactione.
Si in futuro fugere vis Dei iudicium, in præ-
senti iudica temet ipsum: si te ipsum iudicaue-
ris, à Deo non iudicaberis. Si vis à Deo fu-
gere, ad ipsum fuge confitendo, non autem
peccatum tuum celando. Confiteri potes, ce-
lare non potes: vt qui manum fugere non
potes districti iudicis, per confessionem mun-
datus experiaris clementiam misericordis.

QVARTÆ PARTIS CONCLVSIO.

Confessio-
nis vis.

Confessio-
nis necessi-
tas rationa-
bilis est.

OB hæc & multa alia, quæ in hanc sen-
tentiam dici poterant, planè vides, fra-
ter charissime, quòd confessio pecca-
ta obliterat, iniustum iustificat, & animam à
morte liberat: sine qua nemo potest gratiam
Dei recuperare, & peccatorum suorum veniam
sperare. Incipe igitur à confessione ad mise-
ricordiam Dei intrare, & vt iustus sis, accusa-
tor sis tui. Deus enim iustus est, qui pecca-
ta odio habet, & ea impunita non dimittit: sed
simul misericors est, qui ea pœnitenti remittit.
Seruat iustitiam in misericordia, & misericor-
diam

diam in iustitia: oportet igitur, vt Deus iustus iustè misereatur tui. Nonne autem iustum est, vt te miserum confitearis, vt ab eo misericordiam consequaris? vis peccata tibi dimitti, & peccator non vis videri?

Quid tibi prodest inclusam habere conscientiam, cum Deum, omnium tuorum facinorum habeas testem? quicquid feceris, Deus assistit, perpetuus vel minimarum cogitationum tuarum obseruator. Et veluti dum quempiam contra nos latere in insidiis credimus, tantò eum ampliùs metuímus, quantò minùs eum videmus, cumque eius insidias nequaquam deprehendimus, vbi sunt, ibi etiam eas metuímus, vbi non sunt. Sic Creator noster (qui vbique totus existens te aspicit, & à te aspici nequit) tantò magis tibi metuendus est, quantò magis inuisibilis permanet, quantò, quidue de tuis actibus decernat, ignoras. Ibi pecca, vbi eum esse nescis: quòd si fieri non potest, quin semper assistat, & omnia occulta tua videat, magna est tibi indicta necessitas rectè viuendi & probitatis, qui omnia facis ante oculos Dei omnia cernentis, quæ si diligenter considerares, multa pudenda coram Deo perpetrata erubesceres: quæ vt ei tecta essent, per confessionem detegeres, ne de iis coram eo & toto mundo erubescere posses.

Cogitationes hominum Deus videt.

Inuisibilis Deus magis est timendus.

Igitur, frater charissime, districtissimum illud examen præoccupans in confessione præueni iudicis faciem, ei per suum vicarium repræsentata tuam vitam: nec homo homini,

Conclusio

H

pec-

peccator verearis confiteri peccatori. Confiteri non solùm de grauibus illis peccatis, quæ vsque adeò erubescis, sed etiam de hac erubescencia, quæ diu prohibuit, ne confitereris.

Confessiones superiores iterandæ. Nunquam Deus quempiam de vno peccato mortali absoluit, quum eadem opera de omnibus absoluat.

Et quia, ex quo primum cœpisti erubescere, & peccatum mortale consulto reticere: nullum peccatum tibi est remissum, Deo dimidiatam confessionem non accipiente, nec dimidiatam veniam dante: idcirco omnes tuæ confessiones (si quæ ab eo tempore factæ fuerunt) manserunt inutiles, veniæ steriles, & sine misericordia, ob idque ipsum omnia peccata mortalia in iis confessa rursus sunt confitenda: si eorum omnium vis veniam consequi, & per veram pœnitentiam tibi remitti, tandemquæ aeterna inferni euadere supplicia, & ad beatifica illa peruenire gaudia.

Amen.

QUARTÆ PARTIS FINIS.



IN-